Verùm et iuventa consumit: declivis, et ad omne Vitium com,
pendiosa Via est otium; vultis scire eius definitionem? summa
mentis malitia, mors animæ, sentina malorum, schola, et mater
scelerum, pulcherrimum denique omnium Vitiorum, ac flagitiorum
breviarium, et epitome. mens otiosi in mille facinorum furi,
as discurrit, quia multam malitiam docuit otiositas. Sed num
inquis ex otio provenit egestas, quod multam docuerit malitiam?
minime mihi hoc probatur. Omnino ex otio, otium egestatis mater
est. Considerate si lubet otiosos nonnullos inertis Murciæ addictos
servitio quomodo non vivunt? Et licet divitijs alioqui, sicut ple,
rumque etiam Vitijs, ac delicijs affluant, velit nolit quasi viator,
aut Vir armatus invadere illos cogatur dura egestas. quomodo
inquam non vivunt? qui cum nullis negotijs honestioribusque
studijs distineantur, occupenturque toto die in foro ganniunt, con,
fabulantur, aliorum mores notant, et perstringunt, tempus terunt
modo hunc, modo illum mordaci dente invadunt, in Vitas Prin,
cipum, ac Magistratuum prô nefas; et nonnunquam inquirunt
Modo respub. modo Regna, modo Imperia administrant. iam Im,
peratores, iam reges, iam egregios belli duces agere crederes:
iam meditantur bella, conscribunt militem, metantur castra
mox ad prælium aciem instruunt. quam non apparent for,
midabiles? illico adsunt Ira, vis, indignatio, ira quæ vultum
fingat, vis quæ manum roboret, furor quem indignatio suscitet.
Ut continuo non ardent oculi? ut caperatur frons? Ut ex toto
ore iusti furoris ignes prosiliunt? quacunque ingrediuntur pa,
vorem, et terrorem prævire, comitari horrorem, stragem sequi
necesse est; cuneos rumpunt, ordines dissipant, castra penetrant
omnia ferro prosternunt, caeduntur hi, sternuntur illi, mact,
antur alij, alij fugiunt, vincunt, triumphant; hem egregios belli

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 124v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/124v)